

Flora Zeylanica * adhuc sudat, opus erit parvum, sed magni laboris, quem librum minime tibi displiciturum spero, licet nullus dubitem quin tu solus errores varios reperias, quos mea tenuitas evitare nequiverit; te multorum annorum experientia cautum fecit.

Nova Plantarum Genera † in dissertatione academicâ N° 50 proposita sunt, hisce diebus proditura, cum omnes philyræ jam impressæ sunt.

Vires Plantarum ‡ seu explicatio *Fundamentorum Botanicorum* a N. 336 ad 365 ante 14 dies publice ventilabitur.

Materiam botanicam § (absoluta *Flora Zeylanica*) edam compendiosissimam, evitabo omnia quæ nec propria experientia nec aliorum fidi casus confirmarunt; Tu qui in his multum vales, mihi unicam vel alteram observationem mittas, ut liceat honorificam Tuam facere mentionem.

Non novi ad quænam genera sequentes sunt referendæ: Myrobalani indæ, Chebulæ, Bellioræ, citrinæ; Anisum stellatam; Gum: elemi, Sagapenum, Carannæ, Bdellii, Myrrhæ, Olibani, Ammoniac., Opobalsamum, Bals. peruvianum; Copaiva; Lignum aloes; sang. Draconis, Lign. Rhodium, Simanba. Si novisti horum aliquam, candide et amice genus mihi dicas; publicas tibi grates agam.

Nix et nocturnum gelu adhuc nos vexat, dum vos in beatissimo acre inter flores vitam transigitis.

Dicas mihi quæso quasnam acceperis e meis dissertationibus ut queam mittere reliquas. Fuere: Betula, Ficus, Peloria, Corallia, Amphibia, Martino-Burserianæ, Hortus Upsaliensis, Passiflora, Anandria, Acrosticum, Mus. Adolpho-fredericianum, Sponsalia plantarum. Floram et Faunam Suecicam te vidisse nullus dubito.

Alta quies omnium rerum in scientiâ naturali apud nos viget et habitat; Barbarus hic ego sum nec intelligor ulli.

Tu vivas diutissime et devota mea officia dicas venerando fratri tuo et dulcissimæ amicæ meæ *Pictrici horti regii* et Beato *Laserre* et reliquis apud quos innotui.

Dabam Upsaliæ 1747. d: 24 April.

* *Flora Zeylanica, sistens Plantas Indicas Zeylonæ Insulæ, quæ olim 1670 – 1677 lectæ fuere a Paulo Hermanno, Prof. Bot. Leydensi, demum post 70 Annos ab Augusto Guenthero, Pharmacopolâ Havniensi, Orbiredditæ; hoc vero Opere revisæ, examinatæ, determinatæ et illustratæ Generibus certis, Differentiis specificis, Synonymis propriis, Descriptionibus compendiosis, Iconibus paucis.* Holmiæ. 1747.

† *Nova Plantarum Genera*, resp. Car. Magn. Dassow. Holmiæ. 1747. Et in Amœn. Acad., Vol. I.

‡ *Vires Plantarum*, resp. Frid. Hasselquist. Upsaliæ. 1747. Et in Amœn. Acad., Vol. I.

§ *Materia Medica*, Liber I. de Plantis. Holmiæ. 1749.